

tiam; itaque essentia francisci ab eius existentia distinguitur.

Respondeo primo iuxta mentem aliorum, dicendo quod variatio existentiae francisci, non est in existentia secundum se, sed ratione durationis, quatenusque illa sit, quae est variatio extrinseca, non mutans realitatem ipsius existentiae.

Respondeo secundo ex me, nego antecedens; quia est eadem existentia, sicuti quod fullanus existat Romae & Florentiae, est eadem existentia inuariata, sed solum variatur praesentia, quae alia est, qua praesens est Romae, & alia, qua praesens est Florentiae.

66 Obijcies 6. esse creatum est esse receptum; ergo existentia recipitur in essentia; atqui receptum & recipiens distinguuntur; ergo etiam existentia ab essentia distingui debet necessario; tanto magis quia esse creatum est esse limitatum, & receptibile; creatum autem quid est existentia, ergo &c. quia essentia & existentia comparantur inter se sicut actus & potentia; ergo existentia recipi debet in essentia; ergo distinguuntur sine dubio.

Respondeo cum antecedenti distinctione; esse creatum est esse receptum ab aliquo, concedo libenter antecedens; est esse receptum in aliquo, per me facit antecedens; nec etiam Angelus, & materia prima, si ista daretur, essent in alio, quamvis quid creatum sit Angelus, & talis esset materia prima, si daretur; sunt quidem quid receptum ab alio, cum sint diuini esse participatio, non tamen in alio sunt; unde quidquid creatum est, limitatum est, sicuti est essentia rerum, & existentia, quae si comparantur ad inuicem, tamquam actus & potentia, non est hoc verum de actu & potentia physica aristotelica, sed de actu & potentia logica; qui actus & potentia logica non distinguuntur inter se, sed sunt res ipsa possibilis, quae iam extra suas causas posita est.

67 Obijcies 7. existentia concipitur tamquam accidens superueniens essentiae, quae praescindebat ab actuali, & possibili; ergo nulla distinguitur saltem ex parte obiecti. Respondeo, nego consequentiam; quia si plura, quae tantum ex parte actus distinguuntur, concipimus, ut passiones illorum, a quibus non distinguuntur ex parte obiecti; ut euenit in unitate, quae est passio entis, & tamen communiter defenditur a scholasticis non distingui ab ente ex parte obiecti.

68. Obijcies 8. existentia est accidens respectu essentiae; ergo ab illa distinguitur, quia v.g. haec propositio, homo est rationalis,